Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1877
Quelle:
Copyright:

velut parvus *Jacobus*, dicta, quem admodum etiam *Hieronymianum*, *Bernhardinum* &c. habemus? Et sunt quae in collatione *Jacobi* esse deprehendi. Ad calcem legas: *Wer got traut, by bol* (wie wohl) *er paut. Anno Domini M°. CCC°. LXX°. I°. Ach neczaste bydemy' zen° mny' muczyz.* Quasi dicas: *Ah infelices erimus, o Mulier multorum virorum.* An procorum, an maritorum?

DCCLXXXIII.

U. 710 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. et XV. Folior. 275. f. per duas columnas non una manu exaratus, et rubricis distinctus sequentia complectitur: I. *Incipit contractus de sanctis per circulum anni et primo de sancto Andrea.* Bis retuli hos Sermones *Vol.* I. P. 1. *col.* 1196. et P. 3. *col.* 2679. Illuc igitur remitto. Hic ad calcem habetur: *Explicit — per manus Stephani de Pribus* (Silesiae) *tunc temporis campanator in Eczkestorff. Finitus est Contractus ille Anno domini M°C°C°C° Nonagesimo Septimo In die divisionis apostolorum etc. Hilf got. Maria berot.* Id est: Consule, adsiste!

II. *fol.* 88. *Compendium*, ut e calce petendum, *moralitatum conscriptum a Venerabili magistro Jacobo de Iusanna.* Initium: *Abicit mundus pauperes et honorat divites. Nota. Augustinus dicit. Coruus est istius nature quod pullos suos quam diu non habent plumas abicit* &c. Postilla in plures Libros Biblicos composuisse hunc D. *Dominici* Sodalem dixi jam alibi hoc *Vol.* et *Moralitates* ex iis excerptas retuli. En hic alium Spicilegum, qui non ordinem Librorum sequatur, sed Alphabetum. Ita habes *Abicere*, *Abire*, *Abstinentia*, *Abhominabilis*, *Abscondere*, *Absoluens*, *Absorbere* &c. usque ad *Ypocritam.* Multus est et Spicilegus noster, et *Jacobus* ipse in cumulandis Similitudinibus ex Historia naturali petitis, quibus tamen haud magnus in sacris dictionibus fructus unquam respondit. De Autore saepius his Commentariis diximus.

III. *fol.* 151. *Sermones* IX. de Communi SS. quorum I. de Apostolo: *Nimis honorati sunt* &c. *Nullus rex sapiens dat dignitates uel honores inimico suo* &c. Ultimus de B. *Maria: Que est ista que ascendit* &c. *Sancti patres et prophete prenoscentes.* Autor non memoratur.

IV. *fol.* 159. praeviis omnium III. *Librorum* Elenchis sequuntur *Isidori Hispal. Sententiae*, alias *de summo Bono*, qui Titulus obtinuit a primis C. 1. verbis: *Summum Bonum Deus est* &c. Sed in praesenti Exemplo ceterum integro solum hoc C. 1. deest, ut adeo ordiatur a 2. *Non ideo celum et terram implet deus* &c. Saepius jam a nobis relatum est praeclarum hoc *Isidori* Scriptum, in cujus L. III. c. 3 ad finem *fol.* 185. p. 2. laborem interrupit nugax Librarius exclamando: *Ich mus aufhören. Es ist nyn ur, da mich hungert.* famelicus, ut videtur, ad clepsydram. Mox tamen labo-